Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1345

Quelle:
Copyright:

ut ibi dicitur e veteribus Membranis V. Cl. *Joh. Nicotii*, e noſtro vero *Codice* non uno loco emendabilis, quamvis et is in propriis praeſertim nominibus paſſim peccet. Ita legit *eracleam*, *agaguldeam*, ubi Editio *cit.* una cum *Beda* T. II. *Colon.* 1688. p. 236. f. habet *Eroſtachiam*, *Agagus deam* &c. Prophetia ipſa conſiſtit in Verſibus illis ἀκροστιχοις:

Judicij ſignum tellus ſudore madeſcet &c.

quos cum e graeco traductos jam *Auguſtinus* L. XVIII. *de Civ. Dei* repraeſentet, et iterum *Beda l. cit.* nemo doctorum intelligit, qua ratione *Beaugendreus Marbodo* Sec. XII. ſcriptori tribuere potuerit. Atqui id fecit in edit. *Opp. Hildeberti Cenom.* et *Marbodi Redon. Pariſ.* 1708. *col.* 1630. f. Igitur *Mauriana* etiam Monumenta non ſine diſcrimine lauda.

IV. *fol.* 16. p. 2. Excerpta prolixa e PP. et recentiorum Aſcetarum Scriptis de variis Virtutibus et Vitiis.

V. *fol.* 87. Tractatio de Confeſſione et Converſione cum multis Exemplis e *Caeſario Heiſterbac.* depromtis. Initium: *Confeſſio oris cum contritione cordis ſecundus baptiſmus eſt.* &c. Subjunguntur et alia multa ejusmodi Exempla indiſcriminatim lecta, quorum fides penes Autores eſto.

VI. *fol.* 142. reſumuntur Excerpta paullo ſuperius indicata de Silentio, Obedientia, Tentationibus &c.

VII. *fol.* 177. p. 2. Rhythmi quidam latini ſacri modulis muſicis incluſi, levis momenti, binique lingua belgica de Mundi fallaciis, quorum alter incipit:

Uront ſich op dyne bode altoes!
Want die werlt de is alſo loes.
Er genoechte is vncuysheit,
Er raet is houerdic en gyricheit,
Er deynſt is ſoete, er loen is cranck,
Er blome is ſcone, er vrucht is ſtanck &c.

CCCXLV.

739 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 86. 8. nitide ſcriptus, paſſimque rubricis enotatus, fuit primum *Conradi Celtis*, ut ſolitum ejus Μονογραμμα duplici C. duplicique P. (*Conr. Celtes Protucius Poeta*) conſtans praevium teſtatur, emtus dein *Vienne die 27. January. Anno* 1519. a *Joh. Gremperio Joh. Cuſpiniani* Amanuenſe, de quo varia retuli in *Hiſt. Typogr. Vien.* ejusque pariter Sigillo e literis M. Θ. et Γ. compoſito inſignitus, demum κτημα